



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

Epistola Dionysii Comitis Ad Evsebianos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

ANNO CHRISTI 355. vim totam Ægyptum perturbent, vt ita Meletianis ecclesia tradantur; quod quidem agitari iam pridem animaduersum est.

EPISTOLA DIONYSII COMITIS

AD EVSEBIANOS.

HÆC ipsa erant quæ dicebam domino meo Flacillo: Athanasius insurget, dicetque quos ipse eiecerat, eos ad istud negotium submitti; seque iniuria tractari & circumueniri vociferabitur. Hæc quoque eadem illa sunt quæ dominus animæ meæ Alexander suis epistolis mihi significauit. Verum vt sciretis ratione constare quæ mihi illius humanitate perscripta sunt, ipsius epistolam, vt a vobis quoque legeretur, subieci. Memores autem estis eorum quæ prius scripsi, cum admonerem vestram bonitatem, legatos communi iudicio & suffragio deligendos esse. Videte igitur ne res ista culpæ obnoxia sit, neve iustam obtrectandi nostri occasionem criminantibus præbeamus. Vt enim accusantium partem grauari non oportet, ita neque reorum. Arbitror porro non minimam nostri obtrectandi materiam datum iri, si dominus meus Alexander actis nostris non videatur suffragari.

EPISTOLA SIVE LIBELLVS

CONTESTATORIVS CLERICORVM

Alexandrinorum perfidis inquisitoribus
& legatis pro Athanasio oblati.

* *Theognio, Mari, Macedonio, Theodoro, Vrsacio, & Valenti episcopis e Tyro profectis, presbyteri & diaconi sub reuerendissimo episcopo Athanasio catholice ecclesie Alexandriae.*

DECVIT in primis, cum huc veniebatis cum ipso accusatore, adducere quoque vobiscum presbyterum Macarium. Ita enim iudicia constitui debent secundum sacram scripturam, vt reus & accusator simul appareant. Postquam autem nec Macarium adduxistis, neque reuerendissimus episcopus noster Athanasius ad iudicium receptus est, postulauimus vt saltem nobis interesse liceret; vt nobis presentibus certa inquisitio haberi posset, vt ad istum modum rebus actis, iure fidem vestris iudiciis haberemus. Verum & hoc nobis pernegatum, & soli cum præfecto

Concil. Tom. 2.

Yyy